



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 6. Vtrum voluntas moueatur à Deo sicut ab exteriori principio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

duobus articulis, dum docet voluntatem se tantum mouere ad electionem; ad intentionem vero moueri ab exteriori principio?

Respondet, D. Thomas existimabat non proprie aliquid a seipso moueri, nisi illum motum mediante aliqua virtute distincta in se produceret; ne videlicet cogereetur admittere idem esse actu & potestate, agens & patiens respectu eiusdem, & secundum idem. Vnde maluit dicere, voluntatem moueri ab aliquo externo principio, scilicet a Deo, ad primos suos actus, quam a seipsa: nam non causat illos in se mediante aliqua alia virtute, seu inclinatione in ipsa existente. Fateretur autem illam moueri a seipsa ad actiones secundas, id est, ad electionem mediorum; quia producit illas mediante alia virtute, scilicet ex vi intentionis in ipsa existentis. Itaque potius est hic quaestio cum D. Thoma de modo loquendi, quam de re ipsa. Sed quod ad modum loquendi attinet, vt proprie dicatur aliquid se mouere, non est necessarium vim mouendi esse distinctam, ab eo, quod mouet & mouetur. Nam Angeli proprie seipsos mouere dicuntur, dum locum mutant; tamen id faciunt per vim sibi naturalem. Vide supra art. 1. dub. 3. huius quaestionis. Verum tamen est magis apparere quo modo res ipsam moueat, quando est aliqua distinctio inter mouens & virtutem mouendi. Reliqua quae hic dici possent, pertinent ad art. 6.

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntas moueatur a corporibus caelestibus?

Prima Conclusio, Voluntas non potest directe moueri a corporibus caelestibus, quasi ipsa possit aliquid immediate voluntati imprimere. Ratio est; quia ipsa est spiritualis, corpus autem non potest vi sua in spiritum agere. Confirmatur, quia ipsa non est capax nisi motionis spiritualis: atqui corpus non potest efficere impressionem spiritalem. Vide D. Thomam 1. p. q. 115. & 116. & lib. 3. contra Gentes c. 84. & 85. & D. Augustinum lib. 2. de Genesi ad literam, c. 16. 17. & de doctrina Christiana c. 21. vsque ad 29.

Secunda Conclusio, Potest tamen voluntas indirecte aliquo modo moueri a corporibus caelestibus; scilicet ex parte obiecti, quatenus illa corpora varie afficiendo corpus humanum, possunt efficere, vt aliquid apprehendatur tamquam conueniens vel disconueniens.

Notandum est, corpora caelestia non habere vllam vim mouendi voluntatem humanam, nisi mediante motu appetitus sensitui: vnde non possunt amplius mouere voluntatem, quam appetitus sensitus. Itaque non possunt illi inferre necessitates, vt volebant Astrologi, contra quos agit Picus Mirandula. Ratio est; quia corpora caelestia non possunt agere directe, nisi in corpus humanum, in humores, & spiritus; v. g. inducendo temperamentum melancholicum, phlegmaticum, sanguineum, cholericum (quae quatuor temperamenta rursus infinitis modis inter se variari & misceri possunt) ratione quorum fit, vt idem obiectum a diuersis varie per imaginationem apprehendatur; ac proinde varij affectus

in appetitu inferiori excitentur; qui affectus sunt causa, cur ratio varie apprehendat, & consequenter voluntas varie afficiatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum voluntas moueatur a Deo, sicut ab exteriori principio?

Respondetur vnicâ Conclusionē, voluntatem moueri a solo Deo, tamquam a principio externo motus.

Probat, quia omnis motus voluntatis debet procedere ab ipsa voluntate, tamquam a principio intrinseco; sicut omnis motus naturalis a natura, vt a principio intrinseco: ergo nihil extrinsecum voluntati potest esse causa efficiens motus voluntatis, nisi quod est causa ipsius voluntatis: sicut nihil extrinsecum potest esse causa motus naturalis, nisi quod est causa naturae: atqui solus Deus est causa voluntatis: (tum quia solus creat animam rationalem, cuius vis est voluntas; tum quia voluntas inclinatur in bonum vniuersale; inclinatio autem in bonum vniuersale, non potest imprimi nisi a causa vniuersali:) ergo solus Deus mouet voluntatem ad exercitium actus, tamquam principium extrinsecum.

Notandum, D. Thomam hic loqui de motione voluntatis ad primos actus, scilicet ad amorem & intentionem finis, vt colligitur ex art. 4. Nam ad electionem mediorum ipsa seipsam mouet, vt ostendit artic. 3.

D. V. B. I. V. M. I.

Quot, & quibus modis Voluntas moueatur a Deo?

Respondeo, Generatim quinque modis Deus voluntatem mouet.

Primo, Mouet voluntatem quatenus est auctor voluntatis, qui naturam eius ad tales actus instituit, & assidue suo influxu conseruat; qui enim dat inclinationem ad actum, est causa actus, iuxta Philosophos. Sic qui imprimit sagittae impetum, est causa motus. Sic sol vapores trahit sursum; quia leuitatem imprimit, vnde sequitur motus sursum.

Secundo, Quatenus concurrit ad actum voluntatis, sive vt influit in illum: (nulla enim creatura potest operari, nisi Deo intime cooperante:) sicut enim assidue a Deo pendet secundum suum esse, ita etiam pendet secundum operationem. Itaque cum Deus per suam cooperationem fit causa vniuersalis omnis motus voluntatis, voluntas in omni motu quodammodo a Deo mouetur, tamquam a causa ad motum cooperante.

Aduerte tamen, hoc non esse proprie mouere voluntatem ad exercitium actus; tum quia concursus Dei non tendit immediate in ipsam potentiam voluntatis, quasi in ipsa debeat aliquid primum fieri, v. g. aliqua determinatio vt actum suum producat; sed immediate tendit in ipsum actum: tum quia concursus Dei est vniuersalis, & secundum se indeterminatus ad hanc vel illam speciem

Explicatur D. Thomas.

35 Non dicitur.

Sed indirec.

Quomodo corpora caelestia moueant hominum voluntates.

De Chonici.

36

37

Quatenus naturam formant.

Quatenus in actu influit.

Per hunc influxum non mouetur voluntas ad exercitium actus.

speciem actus: unde non est causa cur voluntas potius hac specie motus, quam alia moueatur. Tum denique quia non est ratio, cur iste actus hic & nunc fiat; sed influxus voluntatis est huius ratio: ideo enim hic & nunc voluntas mouetur, quia hic & nunc praebet influxum; non autem quia Deus praebet influxum. Itaque hac ratione voluntas potius mouet seipsam, quam Deus; nam motus eius secundum suam speciem & exercitium actus, reducit potius in voluntatem, quam in Deum.

3. Quatenus actus ad actum determinat. Tertio, Mouet ipsam determinando ad actum; ut cum immitit pias affectiones ad fidem, spem, charitatem, penitentiam, &c. quae affectiones sunt motus voluntatis producti à Deo singulari influxu, voluntate necessario concurrente. Unde potius tribuuntur Deo tamquam auctori, quam voluntati.

4. Quatenus pias affectiones in anima relinquit. Quarto, Mouet voluntatem Deus mediante his pijs affectionibus, tamquam virtute à se impressa, & veluti semine quodam diuino, ad eliciendum actum liberum, v. g. fidem, spem, charitatem, penitentiam &c. Simili ferè modo dicitur mouere per habitum infusum: est enim hic semen quoddam Dei, teste Ioanne epistola 1. c. 3. Discrimen tamen est, quod habitus supernaturalis non ita sensibiliter inclinet voluntatem.

5. Proposizione obiecti. Quintus modus est, quo mouet voluntatem interius vel exterius proponendo obiectum ex inopinato, & efficiendo ut absque praecedente consilio aliquid menti incidat, quo voluntas alliciat vel auertatur. Sic Deus mouet per bonas cogitationes, quas sua prouidentia immitit.

DVBIUM II.

De quo ex his modis loquatur D. Thomas hoc articulo.

38 Respondeo, D. Thomam videri potissimum loqui de primo modo, quamquam reliquos non excludat. Quod primario de primo loquatur, probatur; quia ratio ipsius directe solum probat Deum mouere voluntatem, quatenus est auctor nostrae voluntatis, qui inclinationem in bonum vniuersale ei impressit.

Quod reliquos non excludat, probatur Primo, quia reliqui modi sequuntur ex primo. Ideo enim necessario Deus cooperatur ad omnes voluntatis motus, quia natura voluntatis assidue ab ipso solo dependet: ideo etiam potest solus voluntati prauios instinctus immittere, & per eos ipsam ad varias operationes inclinare; quia solus est voluntatis auctor. Denique haec eadem causa est, cur ad ipsius prouidentiam pertineat, ut omnis propositio obiectorum, vel ipsius directione, vel singulari permissu fiat.

Secundo probatur quia solus ille primus modus non est sufficiens, ut Deus censetur propria causa primorum motuum voluntatis. Nam diuerso tempore, & diuersis hominibus diuersi motus incidunt, cum tamen omnium hominum voluntates eodem semper modo à Deo dependant. Ergo haec dependentia non est propria causa cur huic incidat talis motus, alteri verò talis: sed hoc referendum est in diuersos instinctus, quos Deus diuersis temporibus immitit; vel certe in diuersa obiecta, quae per ipsius prouidentiam diuersis

hominibus occurrunt. Nihil enim vquam occurrit homini interius vel exterius, quod non singulari Dei prouidentia vel sit ad hoc directum, vel permissum. Vide Prosperum sententia 58. vbi explicat, quomodo Deus sit summa causa omnium motionum corporalium & spiritualium.

Dices primo, si dicitur Deus dicitur mouere voluntatem, quia inestuit inclinationem, ex qua motus ille sequitur: ergo Deus etiam erit auctor malorum motuum, siue praueientium, siue liberorum; quod est contra fidem: ut Prima parte ostensum est.

Respondeo Primo, Deum esse auctorem horum motuum, & mouere voluntatem ad hos motus non absolute, sed quatenus generatim tendunt in bonum. Quod enim omnis motus voluntatis tendat in aliquam boni rationem, habet à Deo, qui voluntati impressit inclinationem ad bonum in genere praesum à ratione honesti & inhonesti. Colligitur ex D. Thoma ad tertium.

Secundo, Responderi potest, non omnes primos motus qui sequuntur ex inclinatione voluntatis, referendos esse in Deum auctorem; sed eos tantum, propter quos Deus inclinationem dedit: dedit autem inclinationem naturalem voluntati, non ut praui motus ex ea sequerentur, sed honesti. Quare est praui motus sequantur ex inclinatione voluntatis; tamen non sunt in Deum referendi; quia non sequuntur ex hac inclinatione, ut subest intentioni & directioni Dei, sed ut ab ea declinat. Sicut cum quis vitur gladio, non ad sui defensionem, ad quam factus est ab artifice; sed ad latrocinium; artifex non censetur causa latrocinij.

Dices Secundo, Hac ratione Deus etiam dicitur mouere ad electionem: nam electio sequitur inclinationem voluntatis à Deo infusam. Atqui hoc est contra D. Thomam: ergo, &c.

Respondeo, Posse id aliquo modo dici; tamen non ita proprie, sicut de intentione. Et hoc est quod vult D. Thomas. Ratio est; quia naturalis inclinatio voluntatis, primo & per se tendit in amorem finis, seu boni per se amabilis; in media vero non tendit, nisi ex vi amoris finis, ac proinde non nisi mediante alia volitione. Quare cum electio oriatur immediate à volitione finis, non autem ex propensione voluntatis infusa à Deo; magis proprie refertur in voluntatem, quam in Deum auctorem naturae. Simile est in intellectu, qui quatenus mouetur ad assensum primorum principiorum, censetur moueri ab auctore naturae, qui istud lumen intellectui impressit: quatenus verò ex vi assensus principiorum mouetur ad assensum conclusionis, censetur mouere seipsum.

DVBIUM III.

Utrum aliqua causa creata, ut Angelus vel Demon, possit voluntatem directe mouere ad exercitium actus?

39 Respondeo, Non posse eam mouere directe, sed solum indirecte, scilicet proponendo obiectum.

Non directe. Primo, Quia Scriptura soli Deo tribuit cordis motionem, Prouerb. 21. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud. Eadem soli tribuit secretorum cognitionem 3. Reg. 8.

Tu solus

In solus nostri corda filiorum hominum. Et alibi. Quod si cordis secreta subsunt illius solius cognitioni; multo magis solius subsunt motioni. Secundò, Quia nullo quatuor modorum supradictorum potest Angelus esse causa motus voluntatis; vt patet discurrenti per singulos; sed solo quinto, qui fit propositione obiecti. Tertio, Probatur ex D. Augustino l. 3. de Trinitate cap. 8. & 9. & lib. 9. de Genesi ad litteram, cap. 13. & D. Thoma 1. p. q. 110. a. 2. qui docent, Angelum non posse quidquam efficere circa naturam corpoream, nisi motum localem. Ergo multo minus poterit in voluntate efficere actus vitales. Hinc sequitur neque reliquis creaturas posse quidquam directè efficere in voluntate, præsertim cum relique creaturae sint corporales, voluntas autem sit spiritalis.

Augustin. De Thom.

Altera pars, scilicet posse indirectè mouere voluntatem. Probatur primo, Quia potest exteriùs vel interiùs proponere obiectum, & efficere vt phantasia illud assidue apprehendat; qua apprehensio tandem trahet voluntatem in eundem sensum. Secundò, Quia potest variè immutare corpus, humores, & spiritus; ex qua immutatione sequitur etiam varia phantasia apprehensio sub ratione conuenientis vel disconuenientis; & proinde varij quoque motus in appetitu sensitiuo; ratione quorum fit, vt intellectus variè obiectum apprehendat, & voluntatem alliciât. Hi duo modi mouendi voluntatem pertinent ad passionem, seu propositionem obiecti; qua est indirecta motio voluntatis.

Potest indirectè proponendo obiectum, & immutando in motu.

QVÆSTIO DECIMA.

De modo quo Voluntas mouetur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Voluntas ad aliquid naturaliter moueatur?

Respondetur Vnica Conclusione, Voluntas mouetur naturaliter in bonum in comuni; in beatitudinem, & in omnia que conueniunt homini secundum naturam.

Vbi Notandum, naturaliter ferri in aliquid hoc loco nihil est aliud; quam ferri iuxta inclinationis naturalis, qua ita est ad vnam partem determinata, vt non possit in oppositam. Itaque distinguitur contra liberam, vt notat Caiet. & patet ex respons. ad primum vbi D. Thomas distinguit naturale à voluntario, id est, libero.

Probatur primapars: nempe quod in bonum in communi moueatur naturaliter; quia omnis potentia naturaliter est determinata ad suum obiectum formale; ita vt non possit in oppositum: atqui obiectum formale voluntatis est bonum in communi: (quidquid enim voluntas vult, vult sub ratione boni) ergo voluntas est naturaliter determinata ad bonum, ac proinde naturaliter fertur in bonum.

Secunda pars, scilicet quod in beatitudinem moueatur naturaliter. Probatur, quia finis vltimus ita se habet inter bona expetenda, sicut prima principia inter veritates cognoscendas: sed prima principia sunt naturaliter cognita (nam ex vi apprehensionis terminorum ita illis assentimur, vt non possimus assentiri contrario:) ergo vltimus finis est naturaliter volitus, id est, modo, vt non possint velle contrarium.

Tertia pars, quod in omnia que homini secundum naturam conueniunt; naturaliter moueatur: Probatur, Quia voluntas data est homini loco inclinationis naturalis, vt in totum hominis bonum illum inclinet (id enim quod est inclinatio naturalis in rebus naturalibus, in homine & Angelo est voluntas:) ergo sicut res alia feruntur naturaliter in bonum suae nature conueniens, ita voluntas fertur naturaliter in id quod

per se humanæ nature est conueniens: vt esse, viuere, intelligere, esse integrum, sanum, pulchrum, &c. qua secundum se nihil habent mali. Denique omne id quod apprehenditur sub ratione boni, qua parte sic apprehenditur, naturaliter appetitur; quia sub ea ratione non potest respui.

Notandum est primò, sicuti voluntas duplici ratione potest aliquid amare liberè; scilicet secundum exercitium actus, & secundum speciem: ita duplici ratione potest aliquid amare naturaliter; secundum exercitium actus, & secundum speciem actus.

Secundum exercitium, nihil amat naturaliter; nec vllus motus in hac vita est ei naturalis (loquor de motu qui est ex perfecta rationis consideratione.) Ratio est; quia ad omnem amorem elicendum voluntas est libera & indeterminata. Vnde ad exercitiu actus non habet se, vt inclinatio naturalis.

Secundum verò speciem actus, naturaliter amat omnia bona supradicta per se considerata; quia ita est ad illa determinata, vt si velit in illa tendere, non possit nisi motu prosecutionis. Dico per se considerata; quia ob aliquod incommodum vel defectum qui illis apprehenditur connexus, possunt respui. Sic multi optant non esse ob miseriam huius vel alterius vitæ; multi nolunt sapientiam & virtutem ob laborem & corporis incommoda.

Notandum secundò, Ex his facile intelligit duplicem illam rationem voluntatis, cuius frequens apud Theologos mentio, secundum quam dicitur moueri; nempe vt voluntas, & vt naturalis. Quae duae rationes non distinguuntur tamquam duae res vel duae formalitates, sed vt vna eademque res duplici modo inadæquate concepta.

Dicitur enim moueri vt voluntas, quatenus in modo operandi habet conditionem propriam voluntati, qua est liberè ferri in aliquid. Prouenit autem hic modus operandi ex perfecta rationis consideratione, qua res consideratur cum omnibus suis circumstantijs.

Dicitur autem moueri vt naturalis, quatenus in modo operandi habet conditionem naturæ, qua est esse

Voluntas nihil amat naturaliter secundum exercitium actus.

Sed quædam secundum speciem actus.

Voluntas quæ naturaliter mouetur, & vt naturalis voluntas, quid significet.

In qua bona voluntas mouetur naturaliter.